

## **Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 70**

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, Ansbergam matrem Huberti clerici de Vindocino, in capitulum nostrum venisse, acceptoque societatis nostre benefacto, dotalicium suum, unum arpennum scilicet vinee et duos terre, canoniceis Sancti Georgii in quorum terra adiacent, annuentibus, nobis post obitum suum condonasse. Que, cum obisset atque a nobis sepulture mandata fuisset, rogavit nos supradictus Hubertus ut arpennos illos eum, dum viveret, tali pacto tenere sineremus, ut cum eisdem in dominium nostrum deveniret quicquid ipse possidere videretur, die vel hora qua obiret. Cuius nos peticioni sub hac consensimus convenientia, testibus istis: Benedicto Blanchardo – Ermenaldo claudio – Hildeberto monacho de Buziaco tunc temporis preposito, cum quo Hubertus convenientiam istam habuit.